

246
 tina C. de temporibus in integr. restit. & alibi. 4. Aliis etate majoribus, si probent invincibiliter ignorasse currentem prescriptionem, etiam conceditur: saltem in prescriptione 10. aut 20. ann. (de prescriptione enim longissimi temporis dubium est) L. 1. cit. ff. Ex quibus causis. Et hoc similiter quadriennio a notitia prescriptionis completæ. In Gallia juxta Perfectorem Tournelli potest aliquis restitui in integrum intra 10. annos: & solus Rex beneficium restitutionis in integrum concedit per Literas Cancellariæ.

Huc usque & plusquam satis ad institutum nostrum de prescriptione, maxime secundum Jus Romanum. Si Leges municipales aliter statuunt, consulendæ sunt & observandæ. Plura, si lubet, videri possunt apud nostrum Sylvestrum v. *Prescriptio*, & alios sive Canonistas, sive Juristas, sed quæ potius spectant forum externum, quam internum.

DIGRESSIO HISTORICA.

Ad Præcedentem Dissertationem.

Cui Ecclesia Romana accepta refert sua Domina.

Quædam possessiones privatas, quædam prædia & latifundia Ecclesiam Romanam accepisse a Constantino Magno, negari non potest: patet ex sequentibus. Quantum verò ad supremum dominium sive in Urbem Romanam, sive in alias Civitates & Provincias, dissentiunt Auctores. Quidam eidem Constantino acceptum referunt, alii Christianissimis Regibus Pippino, Carolo Magno, eorumque Successoribus usque ad Carolum Calvum: quæ utrique profertur in suæ sententiæ defensionem, referemus.

Prob. 1. Sententia profertur 1. Edictum Constantini Magni quod legitur Tomo 1. Conciliorum, in quo Religiosissimus Imperator donat B. Sylvestro Papæ, ejusque Successoribus Palatium suum Romæ, ipsam Urbem Romam, & omnes Italiae, seu Occidentalium Regionum Provincias, Loca, Civitates, eaque Juri ac ditioni S. Romanæ Ecclesie perpetuo subjecit. Profertur 2. testimonium Anastasii Bibliothecarii in vita S. Sylvestri, qui scribit Constantinum Insulam Sardiniam dono dedisse Ecclesie SS. MM. Marcellini & Petri, quam exerat in Suburbio Urbis Romæ. Profertur 3. quoddam Privilegium Dagoberti Francorum Regis, in quo dicit Rex, Constantinum dedisse S. Petro Arcem Romanæ Imperii cum omni integritate. Profertur 4. epistola Adriani Papæ ad Carolum Magnum, data ann. 773. in qua scribit per eum esse restituta, quæ Ecclesie Romanæ ab Imperatoribus, Patriis, & aliis concessa erant in partibus Tusciæ, Spoletæ, seu Benevento, atque Corsica simul & Sabiniensis.

Pro 2. Sententia profertur 1. Quod a temporibus Constantini Magni usque ad Pippinum & Carolum Magnum nulla fuerit auctoritas temporalis Romanorum Pontificum in Urbem Romam & Italiam. Quod probant 1. Quia Constantius Imperator, Filius Constantini Magni, vocat Liberium suæ Civitatis Episcopum, ex Theodoro L. 2. Hist. c. 16. 2. Idem Constantius ipsum Summum Pontificem Liberium exulem fecit Bœotiam Thraciæ, quod nollet subscribere condemnationi S. Athanasii, ex ipso Theodoro ibid. & ex S. Athanasio in Ep. ad Solitarios. 3. Prætextatus Romæ Præfectus Urbe expulsi auctoritate Valentini Imperatoris Ursicinum Antipapam, & Pontificatum Damasiani successori Liberii adjudicavit, ex Rufino L. 2. Hist. c. 10. & Baronio ad ann. 368. 4. Similiter Honorius Imperator Jus dixit inter Bonificium electum Pontificem & Euthalium Pontificatum ambientem, & Bonificii electionem sacra sanctione firmavit: apud Baronium ad ann. 419. 5. Leo Augustus ann. 465. misit Anthemium, ut Romanis imperaret: apud Evagrium L. 2. Hist. cap. 16. 6. anno 476. Odoacer Rex Herulorum Romam & universam Italiam invasi, pulso in exilium Augustulo ultimo Romanorum Imperatore. Hunc Odoacrum post quatuordecim annos, pluribus devictum, regno & vita privavit Theodoricus Gothorum Rex. Hunc verò supremam in Urbem Romam & totam Italiam potestatem habuisse, constat, ex eo quod absque ejus auctoritate non congregarentur Synodi, quod confirmaret Electiones Pontificum, ut patet ex actis Synodi IV. palmaris die. Constat etiam ex ejus Epistolis apud Cassiodorum, quod Sevatu, Populo, & Præfecto Urbis imperaret, Judices Romæ designaret, ingressum in Urbem egressumque concederet &c. Theodorico successit Athalaricus, Athalarico Theodatus. Huic bellum indixit Justinianus Imperator, multisque reportatis victoriis Romam recuperavit ann. 537. Sub Imperatoribus autem Græcis ad Pippinum usque nullam etiam fuisse

Romæ & in Italia temporalem Pontificum auctoritatem probant ex eo, quod in Imperatoribus, mutata regiminis forma, creaverint Exarchum Ravenam, qui præset toti Italiae, & in primariis Civitatibus ut Romæ, Beneventi, &c. Duces, qui Exarcho parerent, Exarchum verò soli Imperatori. In eo rerum statu Imperatores confirmatorum Pontificum auctoritatem usurpabant, quam interdum etiam Exarchis concedebant; in Schismatibus qui vellet Pontificatum decernebant; Pontifices sibi invidiosos exilio multabant; ipsi ut subditis jussiones sacras faciebant &c. Ex Anastasio Biblioth., in Agatone, Canone &c. ex Liberato in Breviario, & ex Joanne Diacono in vita S. Greg. l. 2. c. 40. Ad ejus probationem cumulum profertur Ep. Gregorii II. qui obiit ann. 731. ad Ursum Venetiarum Ducem, in qua Pontifex discretè testatur Urbem Romam subditam esse Imperatoribus; Ducentum rogat, ut cum Exarcho, qui capta Ravenna a Longobardis Venetias fugerat, adlaboret, ut Ravenna Civitas, inquit, quæ est caput omnium, ad statum pristinum sanctæ Reipublicæ in Imperiali Servitio Dominorum Leonis & Constantini Filiorum nostrorum Magnorum Imperatorum revocetur, ut zelo & amore fidei nostræ in statu Reipublicæ & Imperiali servitio firmè persistere Domino cooperante valeamus.

2. Profertur, in probationem 2. Sententiæ, donationes Regum Christianissimorum Pippini & Caroli Magni. Cum Aistulphus Longobardorum Rex Ravennam, & plures alias Exarchatus Urbes, fugato Eutychio ultimo Exarcho, invasisset, & Romanis Arcibus excidium minaretur, Stephanus II. frustra implorato Imperatorum Græcorum auxilio confugit ad Pippinum Francorum Regem; advenit Pontificum 6. Januarii 754. & 14. Aprilis ejusdem anni Pippinus in Conventu Carisiaco (Quercu) Stephano presenti promisit expeditionem in Italiam adversus Longobardorum Regem, & ex tunc ipsi donavit Urbes & Provincias, quas Tyrannus usurpaverat, ex Anast. Biblioth. in vita Adriani & D. Fleury l. 43. n. 12. Illata igitur in Italiam expeditione Francorum, Rex Papiam obsidet, & Aistulpho redacto, atque pacem petente, ea conditione obsidionem solvit, ut restitueret Romanæ Ecclesie, non solum ejus Patrimonia, quæ invaserat, sed etiam Exarchatum Ravenam, & adjunctas Provincias. At Pippino reduce in Gallias Aistulphus fidem fregit, nihilque restituit; quin e contra comparato exercitu Romanam properavit atque obsedit: rursus Stephanus ad Pippinum datis Epistolis recurrit, Pippinus alteram expeditionem infert in Italiam, Papiam, quo Aistulphus, audito Pippini adventu, confugerat, iterum obsidet. Interim Imperatoris Copronymi Legati ad Pippinum accedunt, ipsumque rogant, ut Ravennæ Exarchatum, aliasque Provincias, quas a Longobardis jure Belli erat crepturus, restitueret Imperio, & non Sedi Apostolicae. Respondet Pippinus, se bellum adeo arduum non suscepisse nisi in honorem B. Petri, atque e vestigio donationem scriptam Exarchatus Romam transmittit. Interim Aistulphum premit, & ad petendam veniam fracti fœderis, atque ad restitutionem Civitatum, de quibus in primo fœdere pepigerant, cogit. De quibus omnibus Civitatibus receptis, inquit Anast. Biblioth. donationem in scriptis a B. Petro, atque a S. Romana Ecclesia, vel omnibus in perpetuum Pontificibus Apostolica Sedis missis possidendam, quæ & usque hactenus in Archivio S. nostræ Ecclesie reconditas tenetur. Civitates Regis nomine recepit Fultaldus S. Dionysii Abbas, obsidesque a singulis Civitatibus datos, una cum clavibus, & supra scripta donatione S. Sedi, Pippini nomine, obtulit. Hæc ann. 756. Complectebatur Pippini donatio tres Provincias, Picenum, Flaminiam, & Æmiliam, & in eis 20. præcipuas Civitates inter quas Ravenna, Ancona, Bononia & Ferraria eminebant; post hæc Imola, Faventia, Ariminum, Pisaurum, Urbinum &c. Æmilia autem continebat Ducatus Parmensem, Placentinum, & Mutinense. Ravenam etiam nunc legitur, inquit Papyrus Massonum l. 2. Annal. & Baronius ad ann. 758. vetus inscriptio his verbis exarata. Pippinus. Pius. Primus. Ampliande Ecclesie viam aperuit et Exarchatum Ravennæ cum amplissimis &c. Reliqua inscriptionis verba delevit injuria temporum. Anno. 773. Carolus Magnus Pippini Filius, Adriani Papæ precibus motus, trajecto in Italiam Exercitu, Desiderium Longobardorum Regem Ecclesiam Romanam iniquè vexantem compescuit, quem captum cum filio ejus Adalgiso redaxit Victor in Galliam Longobardorum Rex appellatus, prius Romanæ Ecclesie non solum restituit Provincias, quas illi concesserat Pippinus, & quas Longobardi eriperunt, sed etiam adjectis Territorio Sabiniensi, Ducatu Spoletino & Beneventano, aliisque plurimis: Ex Anast. Biblioth.

in

in vita Adriani. Anno 807. Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, Paschali Pontifice Maximo, confirmavit donationem factam Ecclesie Romanæ a Decessoribus suis, adjecta integra Sardinia: Ex Leone Ostiensi in Chronico, & ex Cassinense l. 1. c. 18. Similiter Carolus Calvus Ludovici Pii filius Prædecessorum suorum beneficia in Ecclesiam Romanam confirmavit. Ex Ep. 9. Joann. VIII. ad Landulphum Capuanum Episcopum.

Ad 1. fundamentum 1. Sententiæ respondent Patroni secundæ, Edictum Constantini esse suppositivum, idque probare contendunt. 1. Quia, ut mox ostensum est, a tempore Constantini usque ad Pippinum Summi Pontifices nullam sive Romæ, sive in aliqua alia Italiae civitate, vel Provincia jurisdictionem temporalem habuerunt. 2. Quia antiquiores Auctores de illo Edicto siluerunt, cum ipsorum intererat illud appellare. Sic de illo siluit Adrianus I. in Capitulis, Angilramo Episcopo Metensi datis, in quibus privilegia, & jurta Romanæ Ecclesie stabilit. Siluit Anastasius Biblioth. in vita S. Sylvestri, cum tamén omnia Constantini Magni in Ecclesiam beneficia minutim recenset. Siluit Nicolaus I. in Ep. ad Michaëlem Græcorum Imperatorem, in qua recenset Imperatores, qui de Romana Ecclesia bene meriti sunt. Siluit Luitprandus Othonis primi Legatus ad Nicephorum Phocam Græcorum Imperatorem, cum ipsi exponeret beneficia Constantini in Ecclesia Romanam. Siluit Burchardus Wormatiensis in sua Canonum Collectione. Siluit tandem Gregorius VII. qui omnes conatus adhibuit, & omnia Antiquitatis monumenta lustravit, ut temporalem SS. Pontificum auctoritatem defenderet. 3. Eo Edicto statutum, ut Ecclesia Romana habeat Principatum super Antiochenam, Alexandrinam, & Hierosolymitanam, & Constantinopolitanam, & tamen tunc Byzantium nondum erat auctum in Constantinopolim, nec Imperatoris nomine insignitum; id enim contingit tantum ann. 330.; Edictum autem scribitur datum sub 4. Consulatu Constantini, qui fuit 315. Item in eo memoratur Baptisma Constantini, quod longè post dictum annum accedit fatentibus adversariis. Item dicitur Constantinus 4. Consul. cum Gillicano, & tamen constat fuisse 4. Consulatum Licinio. 4. Illud Edictum donat Sylvestro Urbem Romanam, & totius Italiae, seu Occidentalium Regionum Provincias. Porro constat, Romanos Pontifices nunquam fuisse totius occidentis Dominos; & quod Italiam spectat, præter ea, quæ jam diximus, hanc Constantius paterno testamento tribuit filio suo Constanti in partitione Imperii, quam fecit inter filios: teste Victore in Constantino, Socrate libr. 2. Zonara tom. 2. Annal. Hanc autem Filio non dedisset, si jam in ditionem SS. Pontificis tradidisset. 4. Hoc Edicto statuitur quod Ecclesie Romanæ Clerici fiant Patrii, & Consules; quod Romanæ Ecclesie Clerus ornetur sicut militia Imperialis; quod Clericorum equi manipulis, & lintæaminibus candidissimis coloris ornentur, & ita equeant; quæ omnia videntur absurda. Plures alias rationes suppositionis hujus Edicti referunt Auctores, qui illud explodunt, quales sunt Æneas Sylvius, Hieronymus Paulus Camerarius Alexandri IV. S. Antoninus, Cardinalis Cusanus, Cardinalis Baronius, Glossa Decreti, Spondanus, Morinus, de Marca, Laurentius Valla, Moreri, Natalis Alexander. Nec refert, quod hujus Edicti circa medium sæculi 9. meminert Hincmarus Remensis, & hic primus, post ipsum Leo IX., Petrus Damiani, Anselmus Lucensis, Ivo Carnotensis, & Gratianus; efficacius enim ejus suppositionem probant tum antiquorum silentium, tum rationes, quas protulimus.

Ad 2. respondent, Anastasium Biblioth. loc. cit. per Insulam Sardiniam non intelligere illam celeberrimam maris Mediterranei Insulam, cum verisimile non sit Regionem tam late patentem referre dumtaxat censûs anni 1024. libellas, at narrat laudatus Auctor, tot scilicet, quot civis Civi sua

villa suppeditaret. Neque itém verisimile sit, Constantinum tantam Provinciam dedisse uni privatae Ecclesie in Suburbio Romæ, cum aliis præcipuis Urbis Ecclesiis prædia tantum, & latifundia tribueret. Nomine itaque Insulae hic non significatur Terra continens in medio mari, vel flumine, sed domus a cæteris avulsa viis undequaque cincta, sicut Insula maritima undequaque pelago cingitur: domibus enim hujusmodi apud Romanos esse metaphoricè translaturum Insulae nomen, probant ex Suetonio in vita Tiberii C. 48. & in vita Neronis C. 16. ex Spartiano, ex Sexto Rufo, ex Victore, & aliis. Ex quibus concludunt: Insulam Sardiniam, de qua loquitur Anastasius, fuisse domum, quæ complectebatur hortos quosdam, agellos, ut vineas muris septas, & quæ viis undequaque cingebatur, hancque domum, cui nomen erat Sardinia, & quæ Romano more Insula vocabatur, Constantinum dedisse in dotem Ecclesie SS. Marcellini, & Petri, quam in Suburbio Romæ Civitatis extrui curaverat.

Ad 3. quidam respondent, per Arcem Romanæ Imperii non significari urbem Romam, sed Palatium Lateranense, in quo Constantinus magnificentè erexit Ecclesiam, quæ ejus nomine Basilica Constantiniana nuncupata est, & quæ semper fuit Sedes Romani Patriarchatus. Alii respondent, hos Dagoberti Privilegium esse suppositivum.

Ad 4. respondent, verbum restituendi, quo interdum utuntur Pontifices, cum de Regum Christianissimorum magnificentia erga Sedem Apostolicam loquuntur, referri non ad Urbes, aut Provincias, sed ad Patrimonia, quæ Ecclesie eriperunt Longobardi. Patet ex altera ejusdem Adriani Ep. ad Constantinum, & Irenem, quæ refertur Act. 2. Synodi VII. in qua distinguitur Arces, Urbes, & Provincias a prædiis, & latifundiis, seu Patrimonio Ecclesie, illasque datas dicit a Carolo Magno, hæc verò restituta. Vel etiam Provincie potuerunt dici restituta, non supponendo donationem factam a Constantino, quippe quæ nulla fuit, sed supponendo primam donationem factam a Pippino, quam secundum pacta non adimpleverunt Reges Longobardi, aut adimpletam rursum violaverant. Nec refert, quod in priori Ep. Adrianus dicat, Constantinum dedisse Ecclesie Romanæ potestatem in his Hæspæriæ partibus; quia intelligitur potestas, non dominationis in Urbes, & Provincias, sed proprietatis in prædia, & latifundia.

Instant insuper adversarii hujus 2. sententiæ. Juxta Anastasium Biblioth. in vita Zachariæ, Luitprandus Longobardorum Rex ann. 742. ante tempora Pippini, & Caroli Magni ipsi Zachariæ Papæ restituit 4. Civitates Ducatus Romanici: ergo. R. Has Civitates fuisse restitutas Zachariæ, non pro ipso, aut pro Sede Romana, sed pro Imperatoribus Græcis, inter quos, & Longobardos mediator erat, & sequenter Zacharias.

Urgent. Male parta donari non possunt, sed restitui debent legitimis dominis; atqui Imperatores Græci erant legitimi Domini Provinciarum Italiae, quas usurpaverant Longobardi: ergo eas Pippinus, & Carolus Magnus donare non potuerunt Ecclesie Romanæ. Respondent, has Provincias, quamvis primitus pertinerint ad Imperatores Græcorum, tamen factas esse Pippini, & Caroli Magni proprias jure belli quia dominium alicujus rei amittit, inquit, qui illam invasoribus permittit, & deserit, eamque sibi ereptam recuperare negligit. Unde, cum Imperatores Græci Italiae urbes, ac Provincias a Longobardis occupatas, & iniquè vexatas recuperare neglexerint, atque instantibus, ac urgentibus Romanis Pontificibus suppeditas adversus Tyrannos ferre recusaverint, ab earum Provinciarum dominio exciderint, quod Pippinus, & Carolus Magnus debellatis Longobardis, & Provincias, quæ sub eorum Tirannide gemebant, occupatis, jure victoriae legitime consecuti sunt; adeoque non res alienas, sed suas Ecclesie Romanæ donarunt.

DISSERTATIO V. DE JUSTITIA.

Div. Thom. Quæst. 58.

Inter varias Justitiæ acceptiones dupliciter potissimum accipitur. 1. Generaliter pro sanctitate Christiana, seu pro collectione omnium virtutum: justum enim dicitur quod est suæ regulæ adæquatam; & Justitia, quæ hanc

adæquationem efficit: omnium autem virtutum collectio reddit voluntatem adæquatam suæ regulæ, nempe Legi Divinæ, pròindeque rectè dicitur Justitia, & qualibet virtus pars Justitiæ. De Justitia hoc sensu accepta intel-

lig.

lignitur illud Christi Matth. 6. Beati, qui esurium, & sitium iustitiam: item illud: Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Phariseorum, &c. 2. Iustitia specialiter sumitur pro virtute particulari, quae est secunda inter Cardinales, qua quis inclinatur ad reddendum unicuique quod suum est. Et de Iustitia sic sumpta agitur in presenti.

ARTICULUS I.

De Definitione, Objecto, & Subiecto Iustitiae.

Dico 1. (De 58. a. 1. o.) Iustitia convenienter definitur in jure ex Ulpiano: Constans & perpetua voluntas, jus suum cuique tribuens.

Explicatur. (Ib. ad 1.) Dicitur voluntas: hac particula non nominat potentiam volendi, sed actum; non est autem insolitum apud Auctores, quod habitus definiatur per actus: sic Aug. Tract. 79. in Joann. dicitur: Fides est credere quod non vides. Insuper ponitur hac particula ad ostendendum, quod actus iustitiae debet esse voluntarius. (Ib.) Dicitur perpetua, (Ibid. ad 3. & 4.) non ex parte actus, qui perpetuo duret; sic enim solius Dei voluntas est perpetua; sed ex parte objecti, quatenus iustus vult reddere perpetuo, & in omnibus cuique jus suum. Non enim ad rationem iustitiae sufficit, quod aliquis velit servare iustitiam ad horam, & in aliquo tantum negotio; quia vix invenitur aliquis, qui velit in omnibus, & semper iniuste agere; sed requiritur, quod homo habeat voluntatem conservandi iustitiam perpetuo, & in omnibus. Dicitur constans: (Ibid. ad 4.) Et haec particula se tenet ex parte voluntatis, indicans firmitatem eius propositi, quasi diceretur firma, & constans voluntas conservandi iustitiam perpetuo, & in omnibus. Unde non coincidit haec particula cum To perpetua. In his autem omnibus particulis convenit iustitia cum ceteris virtutibus. Dicitur jus suum cuique tribuens: (Ib. o.) quibus particulis differt iustitia a ceteris virtutibus: in his enim importatur ejus proprius actus per comparationem ad suum obiectum, quod est jus alteri debitum. Siquae habes definitionem esse bonam, utpote quae constat genere, & differentia, nisi quod actus ponatur pro habitu: si autem quis vellet eam ad debitam formam definitionis reducere, posset sic dicere: Iustitia est virtus inclinans constantem voluntatem ad perpetuo reddendum unicuique jus suum. Adverte autem, quod sub hoc actu positivo, quod est jus suum cuique tribuere, etiam intelligitur negativus, quod est nemini nocere: sicut enim, qui reddit alteri debitum quod non habet, ita qui ei relinquit quod habet, censetur illi jus suum tribuere.

Dico 2. De ratione iustitiae proprie dictae est, quod sit ad alterum suppositum. (Ibid. a. 2. o.) Prima pars sequitur ex precedenti conclusione, & iterum probatur. (Ibid.) Nomen iustitiae aequalitatem importat, ea enim iustari dicuntur, quae sunt aequalia; atque nihil est aequale sibi, sed alteri: ergo.

Prob. 2. pars: (Ibid.) Ad iustitiam pertinet actus humanus rectificare: ergo aequalitas, quam requirit, est diversorum agere potentium. Subsumo; atque actiones sunt suppositorum, & totorum proprie loquendo, non partium, aut formarum, aut potentiarum; non enim proprie dicitur quod manus percutiat, sed homo per manum; neque quod calor calefaciat, sed ignis per calorem: ergo iustitia proprie dicta requirit diversitatem suppositorum. Id tamen intellige inter puros homines, in quibus scilicet non reperitur diversitas naturarum sub uno, & eodem supposito, sicut reperitur in Christo, qui ideo ut homo sibi ipsi ut Deo secundum iustitiam satisfecit; de quo in Tract. de Incarnatione.

Dico in conclus. de ratione iustitiae dictae: (Ibid.) Qui nihil vetat, quominus iustitia metaphoricè dicta reperitur inter partes ejusdem suppositi; cum enim in uno, & eodem homine per similitudinem accipiuntur diversa actionum principia quasi diversa agentia, v. gr. ratio imperans, & irascibilis, aut concupiscibilis obediens; oculi dirigentes pedes, pedes portantes oculos; sic etiam metaphoricè inter partes ejusdem hominis dicitur esse iustitia.

Dico 3. (Ib. a. 9. & 10. o.) Obiectum materiale remorum iustitiae sunt res exteriores, quae commutantur, aut distribuuntur. Materiale proximum sunt actiones, quibus haec res commutantur, aut distribuuntur. Patebit ex infra dicendis circa materiam iustitiae. Obiectum formale (Hic q. 57. a. 1. o.) quod est jus, acceptum pro justo, seu aequali alteri debito; quia id principaliter intendit, & facit iustitia, ut patet ex ejus definitione, & per hoc ab aliis vir-

tutibus distinguitur. Unde dicitur iustus, qui hanc aequalitatem facit, aut servat; iniustus, qui non servat. Confirmatur: Illud est obiectum formale quod alicuius virtutis, quod est medium inter excessum, & defectum in materia illius; atque iustum est medium inter excessum, & defectum in materia iustitiae: ergo. Obiectum formale quo est ratio debiti, seu jus in altero, sumptum pro legitima facultate possidendi, alienandi, &c. Ratio enim, cur aequale alteri reddam, est, quia ipsi debeo; debeo autem, quia ille alter habet jus ad illud: debitum enim, & jus sunt correlativa.

Dico 4. Subiectum iustitiae est appetitus rationalis, seu voluntas. (Hic q. 58. a. 4. o.) Prob. (Ib.) Iustitia non subiectatur in intellectu, neque in appetitu sensitivo: ergo in rationali. Prob. 1. pars antecedentis: virtus subiectatur in illa potentia, ad cuius actum rectificandum primario & principaliter ordinatur; atque iustitia non ordinatur primario & principaliter ad dirigendum alicuius actum cognitivum; non enim dicitur iustus ex hoc, quod recte aliquid cognoscimus, sed ex hoc, quod aliquid recte agimus: ergo. Prob. 2. pars antecedentis: Dicitur iustus in hoc, quod aliquid recte agimus, & proximum principium actus est vis appetitiva: ergo necesse est, quod iustitia sit in aliqua vi appetitiva; atque non sensitiva: ergo rationali. Prob. subsumptum: appetitus sequitur apprehensionem; atque apprehensio sensitiva non considerat proportionem unius ad alterum, quod spectat ad iustitiam; hoc enim proprium est rationis: ergo.

Petes, utrum inter Virtutes Cardinales proprium sit iustitiae, & virtutum ipsi annexarum, subiectari in voluntate? Negat Scotiste, voluntate fortitudinem, temperantiam, & alias virtutes ipsi annexas etiam subiectari in voluntate: quia, inquirit, virtus est habitus electivus, & ipsius est facere rectam electionem, debet ergo subiectari in ea potentia, cuius est eligere; haec autem est voluntas. Nihilominus R. affirmativè: (1. 2. q. 56. a. 4. & 6.) Quia non ponitur virtus, ubi non est difficultas vincenda: certitatis autem passionibus per fortitudinem, & temperantiam, ceterasque virtutes eis annexas, voluntas per se, & sine difficultate eligit, seu fertur in opus harum virtutum, quia conjungit rei appetitum est per se propensus in bonum proprium, nec indiget habitu ad id ipsum inclinante: recte verò agere secundum virtutem fortitudinis, & temperantiae, bonum est hominis proprium, in quod proinde ejus voluntas per se nullo optulante habitu fertur, & propendet, tota difficultate, si quae sit, se tenente ex parte appetitus sensitivi, saepe irretiti passionibus, ad quas moderandas ponuntur praefatae virtutes fortitudinis, & temperantiae. De iustitia vero diversa est ratio; quia, cum ejus obiectum sit bonum alienum, voluntas non est per se in illud propensa sicut in bonum proprium, sed habitu indiget ad hoc eam inclinante, & est iustitia.

Si dicas, actum iustitiae, seu reddere unicuique quod suum est, esse etiam bonum operantis; virtus enim est bonum virtuosus. R. Quod, licet iustitia sit formaliter bonum operantis, obiectum tamen ejus est bonum alienum, & in hoc est difficultas vincenda per habitum iustitiae. Ad rationem Scotistarum R. Virtutem dici habitum electivum, non elicivè, sed dispositivè, quatenus rectificando passionem in appetitu sensitivo disponit voluntatem ad rectam electionem. De hac materia proprius locus dicendi est in 1. 2. q. 56.

Dico 5. (Ib. a. 3. o.) Iustitia est virtus moralis. Probatur: virtus moralis est, quae reddit bonum habentem, & ejus opus bonum facit; atque iustitia est hujus modi: ergo. Probatur Minor. Bonum hominis est operari secundum rationem; atque nihil est magis rationi consentaneum, quam cuique suum reddere: ergo.

ARTICULUS II.

De Divisione Iustitiae.

Dico (Hic q. 58. a. 5. o.) Iustitia ut sic dividitur in generalem, quae alio nomine dicitur legalis, & particularem.

Prob. (Ib.) Iustitia ut sic est virtus ordinans hominem per comparationem ad alium, ut dictum est; atque haec comparatio potest fieri dupliciter, uno modo ut ad singularem, seu privatam personam, alio modo ut ad quoddam totum bonumque commune: sicut enim in corpore naturali unaqueque pars habet duas habitudines unam ad aliam partem, alteram ad totum corpus; ita in corpore politico unusquisque civis habet duas habitudines, unam

unam ad alium civem tamquam ad privatam hominem, alteram ad Republicam, seu totam civitatem: ergo datur duplex Iustitia, una quae ordinat civem ad civem, & est Iustitia particularis; altera, quae ordinat civem ad bonum generale, seu commune ut partes ad totum, & est Iustitia generalis.

Porro haec dicitur generalis (Ibid.) partim ex objecto & fine, quia bonum commune est omnium generale; partim ex effectu & proprio munere, quia omnes virtutes & earum actus ordinant ad bonum commune: sic ex imperio iustitiae generalis vir fortis strenue pugnat in bello ob bonum commune, vir temperatus abstinet ab alieno thoro ob ejusdem boni communis conservationem. Et quia iste ordo partium ad bonum commune fit per Leges, Leges enim instituantur in bonum commune, ideo haec Iustitia vocatur etiam legalis.

Sunt autem, qui putant hanc Iustitiam generalem non esse specialem virtutem, sed rationem quamdam omni virtuti communem, ita quod, quatenus fortitudo v. gr. movet militem ad strenue pugnandum propter honestatem propriam fortitudinis, sortitur nomen fortitudinis; quatenus verò movet ad sic dimicandum propter bonum commune, dicitur Iustitia generalis: similiter de Temperantia, Iustitia particulari, & aliis virtutibus: contra quos dico 2. (Ib. a. 6. o.) Iustitia generalis est specialis Virtus, a ceteris virtutibus realiter distincta.

Prob. 1. (Ib.) Generale dicitur aliquid dupliciter, uno modo per praedicationem, sicut animal est generale ad hominem & equum, & ad alia ejusmodi: & hoc modo generale oportet, quod sit idem essentialiter cum his, ad quae est generale; quia genus pertinet ad essentiam speciei, & cadit in definitione ejus: alio modo dicitur aliquid generale secundum virtutem, sicut causa universalis est generalis ad omnes suos effectus, ut sol ad omnia corpora, quae illuminantur, vel immutantur per virtutem ipsius: & hoc modo generale, non oportet, quod sit idem in essentia cum his, ad quae est generale, quia non est eadem essentia causa & effectus; atque hoc secundo modo praedicta Iustitia legalis dicitur generalis, ut dictum est, in quantum scilicet ordinat actus aliarum virtutum ad suum finem, bonum nempe commune, quod est movere per imperium omnes alia virtutes: ergo. Confirm. a simili. (Ib.) Charitas est virtus specialis distincta realiter a fide, spe, & ceteris virtutibus, ea tamen per imperium movet & ordinat omnes alias virtutes ad Deum ut ad finem supernaturalem: dum enim quis temperate utitur cibo propter naturalem honestatem, opus illud est a virtute Temperantiae; si id agit propter Deum est charitatis imperantis: ergo similiter Iustitia generalis est Virtus specialis ab aliis distincta, quamvis omnes alias virtutes in suum finem, nempe bonum commune, referat.

Prob. 2. Ibi est admittenda virtus specialis, ubi est specialis ratio boni & officii; atque obiectum Iustitiae generalis est bonum speciale, scilicet bonum commune ut debitum toti a parte, & speciale habet difficultatem; multi enim possunt bene uti rebus suis in proprium usum, non tamen in usum communem, & ideo saepe videmus, communibus neglectis, optime privata curari; unde fert commune adagium, aliud esse bonum virum, aliud bonum civem: ergo.

Dices 1. Juxta Philos. 5. Ethic. 1. Iustitia legalis complectitur omnes virtutes; nec est pars virtutis, sed tota & integra virtus: ergo. R. Sensus Philosophi esse, (Ib.) quod quaecumque virtus, prout a iustitia legali imperatur, possit denominari Iustitia legalis, eo sensu quo quaelibet virtus, prout a charitate imperatur, potest dici quodammodo charitas, & charitatis praecipuum tota lex. Item eo sensu, quo Rex dicitur totum Regnum, & supremus in quolibet Senatu, a cuius ore & consilio ceteri pendunt, dicitur totus Senatus.

Dices 2. Quaelibet virtus de se inclinatur in bonum commune: ergo non est adstruenda ad id virtus specialis. Prob. ant. Quaelibet virtus de se inclinatur ad recte agendum secundum omnes circumstantias, quarum praecipua est bonus finis, qualis est conservatio boni communis: unde fortitudo v. gr. inclinatur ad strenue pugnandum, non solum pro defensione propriae virtutis, sed etiam pro salute patriae & boni communis; & sic de ceteris: ergo. R. N. Ant. ad prob. D. Antec. (Ib. ad 4.) Quaelibet virtus inclinatur ad recte agendum secundum omnes circumstantias, quarum praecipua est bonus proprius finis, nempe hujus virtutis, seu quo illi competit ex propria specie & intrinseca ejus ratione, C. Ant. Finis, qui illi competit ex ratione superioris virtutis, N. Quaelibet enim virtus secundum Theol. Billuarti. Secunda Secunda.

propriam rationem ordinat actum suum ad finem sibi proprium; quod autem ordinatur ad ulteriorem finem, non habet ex propria ratione, sed ex ratione alicujus superioris virtutis. Porro bonum commune non est finis proprius cujuslibet virtutis, sed virtutis superioris, quae dicitur Iustitia legalis: sic fortitudo qua talis non respicit directè bonum commune, sed ut subest imperio directae Iustitiae legalis.

Repones: Quaelibet virtus respicit bonum proprium, sed ex bono proprio sequitur bonum commune: ergo quaelibet virtus respicit bonum commune. R. D. Consequens: ergo quaelibet virtus respicit bonum commune secundario & mediato, C. primario & immediate, N. Solutio patet.

Dices 3. Ad consulendum bono communi sufficiunt pietas & obedientia: ergo superfluit altera virtus. Probat. Ant. Per pietatem praestamus Patriae, quod illi debemus: per obedientiam legibus obtemperamus, & omnes virtutum actus legibus praecipit exercemus: ergo. R. N. Ant. ad prob. D. Ant. Per pietatem praestamus Patriae, quod illi debemus, ut est nostri ortus principium, & per obedientiam exercemus omnes actus virtutum, ut nobis praecipit, C. Haec praestamus praesertim propter bonum commune, ut debita toti a partibus, N. Igitur Iustitia legalis ad haec non movet, non quia superior praecipit, aut quia Patria est nostri ortus principium; sed quia ratio boni communis & Republicae, cujus membra sumus, haec a nobis requirit tanquam debita toti a partibus, sive interim haec legibus praecipita sint, sive non; sive in ea Republica nati sumus, sive non. Hoc autem debitum, quo adstringitur membrum suo corpori, est diversae rationis, & strictius quam debitum, quo effectus adstringitur causae secundariae, seu homo Patriae ratione auxilii, quod ipsa ad jus ortum contulit, quod est debitum pietatis; cujus signum est, quod quisque teneatur praefere bonum commune parentibus, licet parentes sint magis principium ortus nostri, quam Patria. Ubi autem est diversa ratio debiti, debet poni diversa virtus: nec aliunde superfluit, ad idem materiale bonum ex diversis motivis impelli.

Inferes: ergo adstruenda est etiam virtus aliqua specialis, quae consulat bono communi familiae; & sic non erit adaequata divisio Iustitiae in generalem & particularem. R. N. Illationem: Quia domestica multitudo juxta Philos. 1. Polit. distinguitur secundum tres conjugationes, scilicet: Patris & Filii, Uxoris & Viri, Domini & Servi: hujus autem multitudinis bonum sufficienter procuratur per pietatem inter Patrem & Filium, & per quosdam Iustitias particulares inter Virum & Uxorem, & inter Dominum & Servum. Bonum autem commune totius Republicae, cum latius se extendat, indiget virtute speciali, quae omnes alias virtutes in hunc finem dirigat.

Petes 1. Utrum Iustitia generalis habeat veram rationem Iustitiae? R. Habere veram rationem Iustitiae, sed, ut videtur, imperfectam. (1. p. a. 1. o.) Patet 1. Pars. Quia inter civitatem & civem habetur verum debitum, diversitas suppositorum, & quaedam aequalitas, dum alter alteri praestat, quod ei debet secundum Leges. Patet etiam 2. Pars. Quia non est perfectè ad alterum, in quantum civis comparatur ad civitatem ut pars ad totum; pars autem id quod est, totus est.

Ceterum, quamvis a perfectione Iustitiae secundum quid deficiat, est tamen perfectior virtus, quam Iustitia particularis; quia obiectum ejus, quod est bonum commune, est praestantius bono particulari; imò perfectior est Iustitia, quam ea, quae invenitur inter Patrem & Filium, inter Virum & Uxorem, inter Dominum & Servum, tum ratione dicti obiecti, tum quia est perfectius ad alterum; civis enim liber est pars Reip., seu liberè pendet ab ea, quam pro libitu deserere potest, & alio transigrare; non Sic Filius a Patre, Servus a Domino, Uxor a Viro. Adde, quod, licet communitas coalescat ex singulis civibus, tamen fictione Juris habetur pro distincta persona, siquidem habeat in bona civium jus distinctum a jure ipsorum civium; primum dicitur Jus altum, secundum Jus bassum: ratione ejus fictionis quidam existimant esse sufficientem, ut ita dicam, alteritatem, ut Iustitia legalis dicatur perfectè participare rationem Iustitiae.

Si queras: quid sit Jus altum, quid Jus bassum? R. Jus altum esse Jus, quod habet Princeps, aut Republica in bona subditorum ad conservationem boni publici, ubi id exigit necessitas. Jus bassum est Jus, quod habent subditi in propria ad omnem usum lege permissum. Primum, ut vides, est conditionatum, si nempe adsit necessitas boni communis, & talis, in qua ipse civis etiam non compulsus sua erogare deberet in bonum commune. Ali

terum est absolutum. Aliud insuper Jus competit Principi in bona subditorum, ratione scilicet contractus impliciti, quo Princeps se adstrinxit Rempublicam protegere & conservare; & vicissim Respublica Principi propriis expensis subvenire. Hoc Jus spectat ad Justitiam commutativam, Jus autem aliud ad legale.

Dices contra 1. partem responsionis. 1. Liberalitas non habet veram rationem Justitiæ; quia tribuit ex propriis; atqui etiam Justitia legalis tribuit ex propriis: ergo. 2. Violatio Justitiæ legalis non obligat ad restitutionem: civis enim, qui non confert in bonum commune res proprias ut debet, non tenetur restituere, neque qui incendium, aut aliud damnum Reip. non impedit, nisi forte ad id teneretur ex officio: ergo Justitia legalis non est vera Justitia. R. Ad 1. D. Min. Justitia legalis tribuit ex propriis, & tamen propriè debitis, C. non propriè debitis, N. disparitas est ergo, quòd, quæ confert liberalitas, non sint verè & propriè debita, sed ex quadam morum honestate; quæ autem confert Justitia legalis, licet sint propria conferentis, sunt tamen verè & propriè debita secundum Leges & Jura Reipublicæ, ita quòd in casu necessitatis illa posset vi auferre Respublica. Ad 2. N. conseq. Non enim obligatio restituendi oritur ex violatione cujuscumque Justitiæ, sed solius Justitiæ commutativæ, quia id, quòd debet civis Reipublicæ, & ei non confert, licet sit propriè debitum, ut dictum est, non est tamen debitum simpliciter, quatenus non est ipsi appropriatum, seu non est ejus propria possessio, ut in Justitia commutativa; sed est debitum secundum quid, quatenus est proprium partis, quæ, quòd est, totius est.

Petes 2. Utrum Justitia legalis sit ejusdem speciei in Principe & in subditis? R. probabilis affirmative; quia est idem utriusque objectum formale, scilicet bonum commune. Non enim ex se & ratione sui inclinatur Principem ad imperandum, & subditum ad obediendum, sicut facit prudentia regnativa in Principe, & politica in civibus, sed tantum ratione subjecti, quia nempe reperitur in tali subjecto, cui competit imperare, & in tali, cui competit obedire. Quam ob causam S. D. (Ib. a. 6. o.) dixit esse in Principe, non quidem simpliciter architectonicè, sed quasi architectonicè, in subditis autem quasi administrativè.

Justitia legalis ut sic dividitur in Justitiam legalem strictè dictam & Epilicam, de qua q. 120. a. 2.

ARTICULUS III.

De Subdivisione Justitiæ particularis in commutativam & distributivam.

Dico: (Hic q. 61. a. 1. o. & ad 5.) Justitia particularis adequatè dividitur in commutativam & distributivam tamquam in duas species essentialitè distinctas. Prob. 1. Pars. (Ib. o.) Justitia particularis est virtus, quæ quis ordinatur ad aliquam personam particularem; atqui duplex est ordo unius ad alterum particularem, nempe vel partis ad partem, vel totius ad partem: primum dirigit Justitia commutativa, secundum distributiva: ergo. Prob. 2. Pars. Primò, (Ibid. ad 5.) Cum ad rationem Justitiæ pertineat, quòd debitum alteri reddat, ubi invenitur specialis ratio debiti alicui personæ, ibi est specialis virtus; atqui in Justitia commutativa & distributiva invenitur specialis ratio debiti: ergo. Prob. Min. In commutativa redditur cuique quòd suum est & debitum simpliciter, scilicet quòd est ipsi proprium & appropriatum atque in ejus dominio, ac possessione, licet ab altero detineatur. In distributiva verò redditur cuique, quòd suum est & debitum non simpliciter, sed secundum quid, jure scilicet condignitatis & communitatis, cujus est pars, quæ enim sunt totius, quodammodo sunt partium; atqui hæc ratio debiti est diversa, ut patet; alia enim ratione debetur res, quæ est propria creditoris, & jam in ejus dominio inmissa; alia, quia est totius communitatis, cuius est membrum, & ea ratione, attenda ejus condignitate, habet jus, ut fiat propria: ergo. (Nota bene) Et hæc est ratio, cur violatio Justitiæ commutativæ inducat obligationem restituendi, non violatio Justitiæ præcisè quæ distributivæ.

Prob. 2. (Ib. a. 2. o. & ad 1.) Generalis forma Justitiæ est æqualitas; atqui requiritur diversa æqualitas in Justitia commutativa & distributiva: ergo. Prob. Min. In commutativa est æqualitas absoluta rei ad rem, quæ dicitur proportio arithmetica, ut si debeas centum, reddas centum. In distributiva est æqualitas, non absoluta, sed proportionis, quæ dicitur geometrica; ut si v. gr. in distribu-

tione boni communis dentur decem nummi ei, qui habet sex gradus meriti, dentur quinq; ei, qui habet tres gradus: ergo. Confirm. Est specialis difficultas in actu utriusque virtutis: ergo sunt speciales virtutes. Prob. Antec. Alia & major est difficultas in dispensatione bonorum communium, quam in servanda Justitia in commutationibus; unde sæpè contingit, eos, qui in commutationibus exactam servant Justitiam, sordescere nihilominus bono communi sibi concedito: ergo.

Dices 1. contra 1. partem. Est Justitia, quæ dicitur vindicativa; atqui hæc non est commutativa, cum sit tantum in Principe, aut Republica; neque distributiva, cum nulla bona communia per eam distribuantur: ergo. R. N. Min. pro 1. parte cum ejus probat. Quamvis enim Justitia vindicativa sit in Principe ut vindicante, & malum pœnæ pro malo culpæ retribuitur, est tamen etiam in reo reddente per pœnam, quam sustinet, sive læso, sive Reipublicæ, sive Legi, justum & æquivalent.

Advertendum itaque, quòd Justitia vindicativa possit considerari dupliciter. (Hic q. 80. a. unico ad 1.) 1. ut est in Judice agente ex officio in reum ultionem sceleris, & consequenter in reo patiente: 2. in læso, aut alio privato requirente ultionem a Judice. 1. modo considerata in Judice æquam pœnam criminis rependente, & in reo patiente, est actus elicivus Justitiæ commutativæ: erit autem actus elicivus Justitiæ legalis, si Judex hanc ultionem ordinet, non solum in bonum partis læsæ, sed etiam in bonum commune. 2. autem modo considerata non est propriè dicta Justitia, proindeque neque commutativa, neque distributiva, sed Justitiæ pars potentialis, quæ dicitur vindicatio, & definitur virtus moderans appetitum vindictæ: quia, licet conveniat cum Justitia propriè dicta in hoc, quòd sit ad alterum, deficit tamen ab illa in ratione debiti stricti & legalis; quamvis enim possit privatus petere ultionem a Judice, ad id tamen non tenetur debito stricto, quin e contra melius faceret omitendo, ut dicam infra ad Q. 108. nisi forte esset persona publica læsa in sua fama, quæ esset aliis obligata; tunc enim vindicatio, seu petitio vindictæ a Judice pertinet ad Justitiam commutativam.

Dices 2. contra 2. partem. Dum bona communia distribuuntur in præmium & mercedem iis, qui communitati utilitè inservierunt, puta militibus, qui strenuè pugnaverunt, est actus Justitiæ distributivæ, quia communia distribuuntur; est etiam Justitiæ commutativæ, quia merces debetur ex Justitia commutativa: ergo non stat distinctio inter utramque Justitiam. R. Dato Antec. N. Cons. Quamvis enim hæc Justitiæ distinguantur, sæpè tamen contingit eas ad eundem actum concurrere; quia nihil vetat eandem rem utriusque Justitiæ titulo deberi; quòd forte dici posset de casu posito; (Hic q. 61. art. 4. ad 2.) licet tamen videatur magis esse Justitiæ commutativæ, quam distributivæ; dum enim retribuitur aliquid alicui pro servitio communitati impenso, id est Justitiæ commutativæ, & non distributivæ; quia in Justitia distributiva non attenditur æqualitas ejus, quòd quis accipit ad id, quòd ipse impendit, sed ad id, quòd alius accipit secundum modum utriusque personæ.

Dices 3. In Justitia commutativa non minus, quam in distributiva attenditur dignitas personarum, ut patet in reparatione injuriarum; major enim supplicio afficitur, qui injuriam facit Principi, quam Plebeio; Justitia autem vindicativa, ut dictum est, pertinet ad commutativam: ergo. R. N. Maj. (Ib. a. 2. ad. 3.) Quia conditio, seu dignitas personæ in Justitia distributiva attenditur secundum se & in omni suo actu, ut constituat formam æqualitatis ad se pertinentis, scilicet proportionem rerum distribuendarum, & personarum, quibus sunt distribuendæ. In commutativa autem attenditur tantum per accidens, & secundum quòd per hoc res diversificantur; quòd accidit in sola compensatione injuriarum, quatenus cum ex dignitate personæ crescat injuria, major debetur pœna: scilicet in aliis, non enim plus debet dare pro equo Regis, quam pro equo alicujus rustici, si sit in se ejusdem valoris.

ARTICULUS IV.

Quæ sit materia, circa quam versatur Justitia particularis.

Nota (Hic q. 58. a. 8. o.) omnia quæcumque rectificari possunt & ad medium reduci, esse materiam virtutis moralis, quæ diffinitur per rectam rationem. Ea autem omnia, quæ subsunt libero arbitrio, possunt per ratio-

tionem rectificari & ad medium reduci. Hujusmodi sunt tria; interiores animæ affectus, seu passiones, exteriores actiones, & res exteriores, quæ in usum hominis veniunt. Quæritur itaque, utrum sit proprium Justitiæ particularis versari circa actiones & res exteriores, an non etiam versetur circa passiones, ut fortitudo, temperantia, & alie virtutes ipsi annexæ? De Justitia generali non currit quæstio; diximus enim supra, materiam ejus esse actus omnium virtutum ut ordinabiles in bonum commune.

Dico: Proprium est Justitiæ particularis versari per se primario circa exteriores operationes & res, non circa passiones. (Ib. & a. 9. o.) Prob. 1. Justitia in hoc differt ab aliis virtutibus moralibus, (Ib. a. 9.) quòd hæc rectificat primario & per se hominem in seipso, ut patet & magis explicabitur in solutionibus objectionum; Justitia verò in ordine ad alium, ut patet ex ejus definitione; atqui ordinatio unius hominis ad alium non attenditur secundum inferiores affectiones, seu passiones, sed secundum exteriores actiones & res, quibus homines sibi invicem communicare possunt, ut sunt quoad res, bona fortuna, pecunia, agri, frumenta, &c. quoad actiones, ex quibus istæ res commutantur, nimirum venditio, solutio, mutuum, commodatum, locatio, &c. Item etiam eæ actiones, in quibus nulla intervenit res exterior, ut honoratio, laudatio, detractio, &c. ergo.

Prob. 2. Virtus, quæ est per se primario ad moderandas passiones, subiectatur in ea potentia, in qua insurgunt passiones; atqui justitia non subiectatur in appetitu sensitivo, in quo solo insurgunt passiones, sed in voluntate, ut dictum est: ergo. (Ibid.) Dixi per se primario; Quia nihil vetat, quin Justitia secundario & mediantibus aliis virtutibus passiones moderandas respiciat, si id exigat ratio sui objecti, plurimum æqualitas constituenda inter res exteriores, ut non raro contingit. Quando enim concupiscentia v. gr. movet ad injustitiam adulteri, aut avaritia removelat a redditione debiti, in his & similibus casibus justitia advocat in auxilium temperantiam & liberalitatem, aliasque virtutes morales, easque movet imperio, ut has passiones moderentur & rectificent; quibus rectificatis ipsa opus suum, scilicet alteri non nocere, aut illi reddere quòd suum est, præstat, & difficultatem, si quæ sit in hac æqualitate, seu conservatione boni alieni, per se vincit.

Dices 1. Nulla est virtus, quæ non versetur circa operationes: ergo id non est proprium justitiæ. Prob. Ant. 1. Virtus est, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit. 2. Omnis Virtus est habitus electivus: ergo ejus actus est electio voluntatis, electio autem est operatio: ergo. R. D. Ant. Nulla est virtus, quæ non versetur circa operationes latè sumptas; C. strictè & in sensu conclusivis sumptas, N. Dupliciter itaque sumi potest operatio: primo generalitè & latè, pro cujusvis facultatis actu, sive fiat cum immutatione organi, sive non; sed quia operatio, quæ fit cum immutatione corporali, speciali vocabulo dicitur passio, hinc secundo specialitè & strictè dicitur operatio, quæ organum corporale non immutat. Et hæc iterum duplex; interior, ut actus intellectus, aut voluntatis; & exterior, quæ homo homini communicat, ut commutatio pecuniæ pro merce. Et hinc fluit solutio utriusque probationis Antecedentis; prima enim intelligitur de operatione latè sumpta, secunda de operatione interiori; nostra autem conclusio de operatione exteriori strictè sumpta.

Nota insuper, quòd, cum virtus dicitur habitus electivus, non sit sensus, quòd electio rectè voluntatis sit electivè virtutibus moralibus, excepta justitia; sed dispositivè tantum, in quantum, appetitu sensitivo rectè disposito per virtutes in eo residentes, voluntas facillè & rectè eligit circa earum materias. Et quamvis ipsa voluntatis electio circa operationes exteriores sit ipsius justitiæ actus, non debet tamen dici ejus materia: quia materia, circa quam versatur virtus, est quid velut informe, quòd virtus rectificat, & ab extremis ad medium reducit, in eo quasi sui formam imprimens. Electio autem voluntatis non sic est respectu justitiæ, sed operationes dumtaxat exteriores, quas reducit ad æqualitatem per electionem voluntatis, unde electio est principium hujus medi, seu mediocritatis; non materia, quæ ad illam reducitur.

Inst. Alie virtutes morales versantur etiam circa operationes exteriores, v. gr. fortitudo circa pugnam, temperantia circa usum cibi & potus, aut venerorum: ergo. Confirmatur. Ira & concupiscentia ordinantur ad alium, ira ad occidendum, concupiscentia ad violandum thorum alienum: ergo fortitudo & temperantia, quæ sunt harum passionum moderativæ, sunt etiam ad alterum; proindeque

Theol. Billuart. Secunda Secunde.

circà actiones exteriores fortitudo v. gr. ne quis ex ira occidat; temperantia, ne ex concupiscentia violet thorum alienum: ergo.

R. D. Ant. (1. 2. q. 60. a. 2. o. & ad 1.) Alie virtutes morales versantur etiam circa operationes exteriores per se principalitè & primario; N. Ant. Secundario & minus principalitè, C. Ant. Fortitudo namque non movet ad pugnam, nisi quatenus moderatur timores & audacias; temperantia ad moderatum usum ciborum & venerorum, nisi quatenus moderatur concupiscentiam delectabilium; at verò justitia per se primario & principalitè versatur circa ipsas operationes exteriores. Similitèr ad confirmationem D. ira & concupiscentia per se primario & principalitè ordinantur ad alterum, N. secundario & minus principalitè, C. Passiones itaque, puta ira & concupiscentia per seipsas neque prosunt, neque nocent proximo; sicut per se primario & principalitè non ordinatur ad alterum, sed ad ipsam habentem, qui eis bene vel male in se afficitur, proinde earum moderatio per fortitudinem & temperantiam per se primario non respicit alterum, sed ipsam habentem. Quia tamen earum passionum effectus sunt ad alterum ordinabiles, ideo secundario ratione nempe effectus possunt dici ad alium ordinari: scilicet justitia, quæ, cum non respiciat aliud quam ipsos effectus, seu operationes exteriores, quæ sunt ad alterum, eas ideo primario & principalitè per se respicit.

Dices 2. Liberalitas & misericordia non minus ordinantur ad alterum, quam justitia; atqui tamen versantur circa operationes & passiones: ergo. R. N. Ant. Justitia enim ordinatur per se alterum tantum: præfatæ autem virtutes ordinantur ex æquo ad bonum proprium operantis, & ad bonum alienum. Ad bonum operantis, quatenus misericordia moderatur compassionem in appetitu, & liberalitas pecunie cupiditatem: ad bonum alienum, quatenus misericordia sublevat alienam miseriam, liberalitas alteri erogat pecuniam; Justitia autem, ut dixi, per se & directe ad alterum tantum ordinatur, quia per se & directe solum respicit debitum alteri reddendum.

Dices 3. Juxta Philos. 2. Ethic. c. 3. Omnis virtus versatur circa delectationes & tristitias, atqui hæc sunt passiones: ergo. R. D. Min. Omnis virtus versatur circa delectationes & tristitias ut materiam, N. ut effectus & fines consequentes, C. quia ad omnem virtutem sequitur gaudium, ad iniquitatem tristitia. (Hic. a. 9. ad 1.)

Consecraria præcedentis Doctrinæ.

EX dictis colliges 1. (Ib. a. 10. o.) Medium in justitia particulari non esse medium rationis, ut in cæteris virtutibus moralibus, sed medium rei: quia, ut dictum est, in hoc differt justitia particularis a cæteris virtutibus, quòd hæc versatur circa passiones, illa circa actiones & res: passionum autem rectificatio, quòd est medium virtutis, non attenditur secundum æqualitatem unius rei ad aliam, sed secundum comparationem ad ipsam subjectum juxta dictamen rationis; v. gr. medium temperantia non est, ut sumas præcisè libram panis, aut tali hora, sed plus vel minus, citius vel tardius, secundum quòd recta ratio dicit tibi convenire attenda tui conditione: quòd enim satis est parco, minus est voraci; quòd convenit sano, nocet infirmo. Undè tale medium est variabile pro conditione subjectorum, nec ex natura rei determinatur, sed per rationem attenda qualitate subjecti & circumstantiarum, & ideo dicitur medium rationis. In justitia verò, cum versetur circa actiones & res, & consistat in rerum æqualitate, medium non sic pendet ex rationis judicio, sed ex ipsa rerum natura sumitur, ut si debeas centum, reddas centum; si emas merces pro quinquaginta, solvas quinquaginta; quisquis sis, Princeps vel plebejus, sanus vel infirmus, nulla habita ratione subjecti; & ideo dicitur medium rei. Non quidem hoc sensu, quòd non sit secundum rationem, nihil enim est magis rationi consentaneum, quam cuique debitum ad æqualitatem reddere, (quam ob causam salvatur in justitia laus & ratio virtutis moralis) sed hoc sensu, quòd tale medium non pendat a ratione tamquam a causa, nec constitatur per illam ex conditione subjecti, ut in aliis virtutibus moralibus, quin potius in eo ratio pendat a rerum natura: ideo enim solvere debitum est rationi conforme, quia est rerum æqualitas; non e contra, est rerum æqualitas, quia est rationi conforme. Scilicet in aliis virtutibus; ideo enim libra panis est mihi medium temperantia, quia est secundum rationem conformis meæ conditioni; non e contra est conformis secundum rationem meæ conditioni, quia

est libra. Igitur omne medium rei est quidem medium rationis, non tamen e contra omne medium rationis est medium rei. Istud autem medium rei non est omnino idem in Justitia distributiva & commutativa, in hac enim est æqualitas absoluta, in illa æqualitas proportionalis, ut dictum est Art. præc.

Ex his ulterius colliges (*Hic q. 17. a. 1. o.*) rectum absolute & materialiter in opere Justitiæ haberi per solam commensurationem ad alterum sine commensuratione ad agentem, secus in aliis virtutibus: v. g. qui debens centum reddit centum, facit rectum, seu justum absolute & materialiter: quamvis id sit suis viribus improporionatum, puta quod inde patitur egestatem in familia, aut malo animo faciat. Non est autem temperatum, neque forte etiam absolute & materialiter, nisi sit commensuratum conditioni agentis. Dixi: *rectum absolute & materialiter*; (*Hic q. 19. a. 2. ad 3.*) quia, si loquamur de recto formaliter, & prout procedit ab habitu virtutis necesse est in materia Justitiæ, sicut in materia aliarum virtutum, quod fiat propter finem virtuti convenientem, & cum omnibus aliis circumstantiis.

Dices, non videri justum nec rectum, quod impotens solvat creditori, neque quod majoribus occupatus aut loco disitis hic & nunc restituat: ergo justum, seu rectum etiam in opere Justitiæ sumitur per comparationem ad agentem. R. N. Cons. quia antecedens est de executione justii; nos autem loquimur de justo absolute. Si enim debitor, sive sit pauper, sive disitis, solvat quod debet, est justum absolute; quia est juri alterius adæquatum. Utrum verò in talibus circumstantiis teneatur solvere? alia est questio.

Dices insuper: Etiam in aliis virtutibus habetur rectum absolute & materialiter sine comparatione ad agentem: v. g. qui fortiter pugnat ex inani gloria, facit opus forte; qui temperate manducat ex avaritia, facit opus temperatum, absolute scilicet & materialiter: ergo. R. Hæc non esse recta etiam absolute & materialiter absque comparatione ad agentem. Sic in primo non est opus forte, nisi sit commensuratum ejus viribus; in secundo non est temperatum, nisi sit commensuratum ejus valetudini. In Justitia autem erit justum, modo sit commensuratum juri alterius, etiamsi presentis agentis dispositioni non sit commensuratum.

Si queris, utrum opus illius, qui pugnat, aut manducat per comparationem ad seipsum, seu conformiter suæ conditioni, sed ex prava intentione aut non cum debitis circumstantiis, possit dici rectum, seu forte & temperatum materialiter, sicut dicitur rectum, seu justum in materia Justitiæ per commensurationem ad alterum. R. Tale opus eamdem posse dici forte, aut temperatum, quatenus servat medium in materia fortitudinis & temperantiæ; eo modo quo Gentilis dicebantur temperate, aut fortiter agere, licet ex inani gloria agerent. Id enim dicitur opus alicujus virtutis materialiter, quando servat medium in materia talis virtutis, licet ab ea non procedat.

Colliges 3. in summa, Justitiam particularem differre quatuor modis ab aliis virtutibus moralibus. 1. quod Justitia sit ad alterum, alie virtutes ad ipsum subjectum. 2. quod Justitia versetur circa actiones externas & res, alie virtutes circa passiones. 3. quod medium Justitiæ sit medium rei, medium aliarum virtutum, medium rationis. 4. denique quod in opere Justitiæ habeatur rectum absolute per solam commensurationem ad alterum, in aliis autem virtutibus per commensurationem ad ipsum agentem.

ARTICULUS V.

Utrum inter Patrem & Filium, inter Domum & Mancipium, inter Virum & Uxorem sit Justitia propriè dicta?

Dico 1. Inter Patrem & Filium non emancipatum, inter Dominum & Mancipium non est Justitia omnino perfecta; est tamen verè & propriè dicta Justitia. (*Hic q. 57. a. 4. o.*) Prob. 1. pars. (*Ib.*) Ad Justitiam perfectam tria requiruntur, ut patet ex dictis. 1. quod sit ad alterum: 2. quod id, quod redditur, sit debitum: 3. quod sit æquale; atqui inter præfatos non reperitur perfectè prima conditio: ergo. Prob. minor. Filius est aliquid Patris, nempe pars ejus; & Servus est aliquid Domini, nempe ejus instrumentum, comparatur enim ad Dominum sicut securis ad artificem: ergo comparatio Filii ad Patrem & Servi ad Dominum non est perfectè ad alterum. Idem dic de Patre ad Filium, & de Domino ad Servum, quia si primus non est perfectè alter à secundo, secundus non

est perfectè alter à primo. Et ob hanc causam inter præfatos non dicitur Justitia seu Jus simpliciter, sed cum addito, nimirum, Jus paternum, & Jus herile, seu dominativum, ut distinguatur a Jure politico, quod est perfectum inter Cives.

Prob. 2. pars. (*Ib. ad 2.*) Quamvis Filius ut Filius sit aliquid Patris, ut homo tamen est suppositum distinctum a Patre, similiter Pater ut homo respectu Filii: ergo Justitia inter illos sub ista ratione est ad alterum, proindeque salvat rationem Justitiæ, licet, quia sic est suppositum, quod tamen sit genitus a Patre, non sit perfectè ad alterum. Idem dic de Domino & Servo. Hanc esse mentem D. Th. pluribus rationibus probat Sylv. Vide, si lubet. Confirmatur. Si Filius, etiam non emancipatus, furaretur a Patre, teneretur ad restitutionem; atqui restitutum est actus Justitiæ commutativæ propriè dicte: ergo.

Dixi: inter Filium non emancipatum; quia inter Patrem & Filium emancipatum potest esse Justitia perfecta, non quidem quoad ea, quæ sibi mutuo naturaliter debentur puta quoad honorem, obedientiam, sustentationem, &c. quæ Filius debet Patri, aut quoad curam paternam, quam Pater debet Filio; quia Filius etiam emancipatus est semper Filius & aliquid Patris, proindeque quoad ea, quæ ut talis debet Patri, non est perfectè alter à Patre; sed quantum ad civilia, quæ sunt communia etiam is, qui sunt inter se extranei, ut sunt contractus v. g. quoad hæc enim Filius emancipatus est sui juris, sicut alter Civis; sicque in his potest exercere perfectam Justitiam erga Patrem, & vicissim Pater erga Filium. Secus, si non sit emancipatus; quia tunc non est sui juris, etiam quoad civilia, sed juris paterni, cum necdum sit Civis, nec se regat, sed regatur a Patre; nec pro se bona administrat, sed pro Patre.

Dices 1. contra 1. partem: ibi locum habet perfecta Justitia, ubi invenitur perfecta injustitia: injustitia enim est violatio Justitiæ: atqui inter Patrem & Filium, inter Dominum & Servum potest reperiri perfecta injustitia, ut si Filius occideret Patrem, Servus Dominum: ergo. R. data majore D. min. Inter Patrem & Filium reperiri potest perfecta injustitia, id est, gravissima, C. min. Id est, perfecta secundum omnes qualitates Justitiæ, N. min. Non enim est tam perfectè ad alterum, sicut est inter duos Cives: est tamen gravior, quia violat Jus strictius & graviorem obligationem, est enim majus debitum Filii ad Patrem, quam Civis ad Civem. Omnia majorem, quia potest negari: cum enim minus requiratur ad malum, quam ad bonum (bonum enim ex integra causa, malum ex quovis defectu) minus requiritur ad perfectè injustum, quam ad perfectè justum.

Dices 2. contra eandem: Inter Patrem & Filium potest esse perfecta amicitia: ergo & perfecta Justitia. R. N. Cons. Disparitas est, quod amicitia non sit ad alterum tam perfectè, quam Justitia; quia, cum amor sit unio amantium, saltem secundum affectum, tendit ad alterum ut quodammodo unum; Justitia autem, cum sita sit in æqualitate unius ad alterum, tendit in alterum ut perfectè distinctum, & non quodammodo unum.

Dices 3. contra 2. partem. Virtus, qua Pater Filio & Filius Patri reddit quod suum est, non est Justitia propriè dicta, sed pietas, quæ solum est annexa Justitiæ, ut dicitur infra q. 80. & 101: ergo. Respondet Sylvius, pietatem esse veram & propriam Justitiam, licet imperfectam, quatenus non est ad perfectè alterum, & non importat perfectam æqualitatem. Respondent alii, præter pietatem, qua Filius est debitor Patri ut principio sui esse, posse in eo reperiri Justitiam commutativam propriam licet imperfectam, qua sit debitor Patri sub alia ratione, puta dari & accepti inter duo distincta supposita; ut si furaretur a Patre, teneretur ex dicta Justitia commutativa restituere ad æqualitatem. Undè inferunt, Filium in tali casu duplex peccatum committere, nempe contra pietatem & contra Justitiam commutativam. Alia argumenta contra utramque partem solvit Sylvius q. 47. a. 4.

Dico 2. Inter Virum & Uxorem est perfectior Justitia, quam inter Patrem & Filium, Dominum & Servum, nec est tamen secundum omnem perfectionem. (*Ib. o.*)

Prob. 1. pars. (*Ibid.*) Uxor magis distinguitur a Viro, quam Filius a Patre, & quam Servus a Domino: ergo. Prob. antec. Vir & Uxor sunt distincta supposita, quorum neutrum accipit esse ab altero, sicut Filius a Patre, nec alteri subest ut instrumentum, sicut Servus Domino, sed simul junguntur ad vitam socialem secundum quendam æqualitatem: etenim quantum ad debitum conjugale sunt omnino æquales; quantum ad familiæ adminis-

nstrationem sunt æquales æqualitate proportionis; sicut enim Uxor debet obedire & auxiliari Viro, ita Vir debet Uxorem regere, & ipsi providere de necessariis, proles autem utriusque obedire: ergo. Quia tamen Vir est caput mulieris, & hæc est sub potestate Viri, non e contra; hinc fit, quod Justitia inter eos non sit secundum omnem perfectionem, ideoque non dicitur Justitia simpliciter, sed Justitia œconomica, quod est secunda pars conclusionis. Nec obstat, quod secundum Scripturam Vir & Muller dicantur *una caro*, & quod Apost. ad Ephes. 5. dicat: *Qui Uxorem diligit, seipsum diligit*. Quoad primum enim sensus est, quod Vir & Muller sint una caro, hoc est, unum principium carnale generationis. Quoad secundum sensus est, quod, cum Vir sit caput mulieris, caput autem & corpus unum quid constituent, Vir, qui diligit Uxorem, diligit suum corpus & consequenter seipsum. Quæri posset hic, utrum detur in Deo Justitia propriè dicta respectu hominum: sed hæc questio pertinet ad 1. partem q. 21.

Potes pro Corone: utrum Justitia præmineat alijs virtutibus moralibus? (*hic a. 12. o.*) R. Justitia, tam generalis, quam particularis, præmineat virtutibus moralibus, quæ subjectantur in appetitu sensitivo, nimirum fortitudini & temperantiæ, aliisque virtutibus annexis. (*Ib.*) Quantum ad Justitiam generalem patet; quia ejus objectum, utpote bonum commune, præstantius est objecto istarum virtutum

moralium, quod est privatum bonum unius persone. (*Ib.*) Quantum ad Justitiam particularem, etiam patet, tum quia est in nobiliori parte animæ, scilicet voluntate; tum quia ordinatur non solum ad bonum virtuosum, ut assignate virtutes, sed etiam ad bonum alterius. (*Ib.*)

Si dicas, liberalitatem, quæ subjectatur in appetitu sensitivo, etiam ordinari ad bonum alterius, & in hoc præeminere Justitiæ, quod illa det de suo, non ista (*Ib.*) R. Esto, quod quantum ad hoc liberalitas præmineat Justitiæ, quod illa det de suo, non ista: Justitia tamen aliunde ipsi præminet in tribus. 1. Justitia propinquius accedit ad bonum commune redendo cuique quod suum est, quo servatur pax publica, ad quam liberalitas non ita concurrat. 2. Justitia latius extenditur, est enim necessaria respectu omnium; quod liberalitati non convenit. 3. fundamentum liberalitatis est Justitia; nemo enim liberalis nomen meretur largiendo quod non debet, nisi prius sit justus reddendo quod debet. De hac materia latè disserit Soto l. 3. q. 2. a. 8. Vides, hic non fieri comparationem Justitiæ cum virtutibus Theologicis; neque cum virtutibus intellectibus, neque cum virtutibus moralibus, infusis; neque cum alijs, quæ etiam subjectantur in voluntate, ut est Religio, quas S. Doct. alibi probat præminere Justitiæ, sed tantum cum virtutibus naturalibus, quæ subjectantur in appetitu sensitivo, ut dixi in conclusione.

DISSERTATIO IV.

DE INJUSTITIA IN GENERE

Quæst. 59.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit Injustitia?

Quis dicendus Injustus?

Nota: Sicut Justitia, ut dixi Diss. præcedenti, sumitur dupliciter, latè pro omni virtute, & strictè pro speciali virtute, quæ est secunda inter Cardinales; sic Injustitia, quæ opponitur Justitiæ, sumitur etiam dupliciter: (*Hic q. 59. art. 1. ad 1.*) 1. latè pro omni transgressionem Legis, quæ alio nomine dicitur iniquitas, quo sensu omne peccatum est injustitia. 2. strictè prout opponitur Justitiæ, quæ est secunda virtus Cardinalis. Sic accepta, sumitur vel actualitè, & est juris alieni violatio; vel habitualitè, & est prava dispositio inclinans voluntatem ad hujusmodi violationem.

Injustitia hæc, sive actualis sive habitualis dividitur ut Justitia in generale, seu illegalem, & particularem. (*Ib. o.*) Hæc in commutativam & distributivam, quia oppositorum est eadem ratio.

Dico 1. Utraque injustitia, tam illegalis, quam particularis, est vitium speciale. (*Ibid.*)

Prob. 1. Pars. (*Ib.*) Injustitia generalis, seu illegalis respicit objectum speciale, scilicet bonum commune, quod contemnit, aut contra quod agit ex intentione: ut si quis fornicetur, furetur, occidat, non solum ut suæ passioni satisfiat, sed ex contemptu boni communis, aut ex certa intentione agendi contra illud: hoc, inquam, ut patet, est speciale objectum constituens speciale vitium Justitiæ in confessione explicandum. Si autem seclusa hac intentione ex sola passione quis furetur, fornicetur, &c. tunc non erit vitium speciale, sed generalis conditio omnis peccati; sicut inobediencia v. gr. est speciale peccatum, dum quis omittit opus præceptum, quia præceptum est seu ex certa intentione agendi contra Legem; est verò generalis tantum conditio cujuscumque vitii, dum, seclusa hac intentione, Legem ex sola passione transgreditur.

Ex quo habes (*Ib.*) Injustitiam illegalem esse quidem speciale vitium secundum essentiam, generale verò secundum intentionem; quia ex animo agentis potest omnibus vitii immisceri: quatenus homo in omni peccato potest agere ex contemptu boni communis.

Prob. 2. pars. (*Ib.*) quia Justitia particularis habet prædictum objectum speciale, nempe inæqualitatem in rebus, dum homo vult plus habere de bonis, minus de malis: v. gr. carius vendendo, vilius emendo, &c. ergo.

Dico 2. Injustitia sive illegalis, sive particularis, est ex

genere suo peccatum mortale; quia contrariatur charitati, cuius privatio est mors animæ. (*Ibid. a. 4. o.*)

Dico 3. (*Ib. a. 2. o.*) Non omnis, qui facit injustum, hoc ipso dicendus est injustus, saltem philosophicè; sed solus ille, qui facit injustum ex habitu, aut ex deliberata electione nocendi, sive injustum faciendi. Quia, juxta morem Philosophorum (*Ibid.*) injustus est nomen significans habitum; qui autem injustum facit ex deliberata electione injusti quasi ipsi per se placeat injustificatio, magnum præbet indicium habitus præexistentis: siquidem unicuique habenti habitum secundum se placeat, quod convenit illi habitui: ergo solus ille dicendus est injustus, qui facit injustum ex habitu, aut ex deliberata electione injusti. Conf. Nemo dicitur simpliciter virtuosus ex hoc, quod facit unum actum virtutis, neque justus, quod faciat unum actum Justitiæ; neque castus, quod semel tentationi resistat: ergo a pari, &c.

Dices: Qui ex sola cupiditate furatur, adulteratur, etsi semel, dicitur fur & adulter: ergo similiter, &c. R. Talem equidem dici furem & adulterum, non tamen furcem & adulteratorem; quia prima nomina sunt significativa tam actus, quam habitus, posteriora habitus tantum: hæc autem *injustus*, *justus*, *virtuosus*, & alia hujusmodi, sunt, nec saltem Philosophorum, significativa habitus, unde est disparitas, et neganda consequentia.

Dixi; more Philosophorum: quia, cum voces significantive habitus sæpè ex usu transferantur ad significandum etiam actum; hinc factum est, ut in vulgo dicatur injustus, qui facit aliquem actum injustum, sive agat ex habitu, aut ex electione injusti, sive non.

ARTICULUS II.

Utrum aliquis possit pati injustum volens, formalitèr loquendo, seu ut communitèr dicitur: Utrum scienti & volenti fiat injuria?

Nota, injustum agere aut pati, posse sumi materialitèr et formalitèr: (*Hic a. 3. ad 3.*) agere aut pati injustum materialitèr attenditur secundum id, quod exterius agitur, prout in se consideratur abstrahendo à voluntate tam agentis, quam patientis: v. gr. capis alienum putans esse tuum, facis injustum materialitèr loquendo, quia facis inæquale. Injustum agere vel pati formalitèr loquendo, attenditur secundum voluntatem agentis vel patientis, formale enim in moralibus petitur à voluntate: v. gr. sciens et volens capis alienum, facis injustum formalitèr, et alter patitur injustum formalitèr, si sit injus-